

recta procedere Pontificios, quemadmodum,  
cum D. Pontanus Cesari & Ordinibus reliquis  
apertè dixisset, aduersarios nullis testimonijs S.  
scripturae vel in minimo niti, se autem à sacris li-  
teris discedere nec velle, nec posse, nec debere,  
quantumuis fulmina minarum audiantur, &  
quidquid sanè euenturum sit, Opt. Cesar circum-  
datus agminibus hominum variorum, cum ge-  
mitu & suspirijs hac verba protulisse fertur, ab,  
necesse est, doctrinam illam, quam Lutherani  
profidentur, plus habere fundamenti, quàm nos  
arbitramur. Et certum est, ut obiter hoc adij-  
ciam, utrunq; Imperatorem, Carolum & Ferdi-  
nandum, tandem fauisse Confessioni Augustanae,  
& eam nequaquam reiecisse, sed concessisse alys,  
& vsos fuisse ad Electores atq; Principes aliquot,  
quorum superstites sunt nonnulli, his verbis, Si  
confessionem vestram tueremini, nihil discordiae  
esset, & nostra pace liceret vobis eam retinere, modo  
sectas impias & sacramentaria deliria, Cinglia-  
nismum siue Calvinismum fugiatis. Et Ferdi-  
nandus placidissimus, licet initio acerbior fuisset,  
& Lutheranam doctrinam, sectam maledictam  
nominare solitus esset, tamen subinde, rebus ipsis  
altius consideratis, mitior factus, sepenumero  
dixit, Si Romana Ecclesia mihi deserenda esset,  
conferrem me ad Lutherana dogmata, idq; hac de  
causa, quia video hac retinere Verbum Dei, &  
recte docere de sacramentis, & non habere incertas